

15 cum dederit clemens veniam natumque laremque  
reddiderit, comptis ibis et ipsa comis,  
purpureo fulgens habitu, radiantibus intus,  
ut quondam, scriptis ambitiosa tuis.

## II

Sancte, tui vatis, Caesar, miserere serenus!  
Auguste omnipotens, almo mortalia cuncta  
numine laetificans nobis ad gaudia nomen,  
Constantine, tuum fecundi carminis ex hoc  
5 te duce det Musas. nam tristis cura recusat  
egregios actus. iam sedent crimina Parcae!  
tunc melius dominum te vox secura sonabit,  
virtutum rector! potuit vix pangere versu  
ista modo, et maesto sic saltim dicere vati  
10 vix mihi Calliope pavitanti conscia nutu  
adnuit, ausa precem vatisque edicere fata  
tristia, signato partes ut limite claudat  
iure pari carmen, mediis ut consona in omni  
sit nota prima sui, et sit pars extima talis  
15 ceu media, e primis occurrens aptius istic  
ad laterum fines et pars, quae dividit, orsa  
e medio, caput esse queat versuque referre:  
„Sancte, tui vatis, Caesar, miserere serenus!“  
alme, salus orbis, Romae decus, inclyte fama,  
20 re melior, pietate parens, ad Martia victor,